PRIMA DIOECESANA

SYNODUS

S. Ecclesiæ Cathedralis Montis Marani


Ab Illustriss. & Reverendiss. in Christo Patre, & Domino

JOHANNE GHIRARDO

Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Episcopo

Celebrata die XVII. mensis Augusti, MDCCXXVII.

S. Catro Afro= =mello Neapoli 1739





BENEVENTI, Ex Typographia Archiep. 1728.
Superiorum licentia.

DECRETUM

DE APERTIONE SYNODI.

In Nomine Sanctissimæ, ac Individuæ Trinitatis Patris, & Filii, & Spiritusſancti. Amen.

JOHANNES GHIRARDUS

Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Montis Marani.



UM munus ſit Epiſcoporum curam habere Eccleſiaſticarũ rerum,&Animarum ſaluti conſulere, quæ occaſionem, & obligationem ſæpe præbent ipſis multa corrigendi, vetandi, & præcipiendi, prout in Domino expedire cognoverint, Nos non ſolùm pro hac indigentia (in prima enim noſtra Santa Viſitatione mores depravatos invenimus, Patrimonia Eccleſiarum dilapidata, & Eccleſiaſtica officia ſine ritu prorſus, & decore haberi) ſed etiam pro inſtauratione Conſtitutionum noſtrorum anteceſſorum Antiſtitum, quarum vix aliquas chartulas reperimus, & in obedientiam Tridentini, & ultimi Romani Concilii a Sanctiſſimo Patre,& Domino Noſtro,Domino BENEDICTO PP. XIII. nuper editi, primam noſtram Diœceſanam Synodum hodie celebrandam decrevimus de more in hac noſtra Civitate

A die

die ſcilicet ſolemnitatis S. Johannis Epiſcopi, & Patroni noſtri, Dominica XI. poſt Pentecoſten, & prima poſt feſtivitatem Aſſumptionis B. Virginis Mariæ, hac ipſa die propterea, quæ eſt 17. Auguſti 1727. ad Omnipotentis Dei, & Jeſu Chriſti Filii ejus Domini noſtri, Beatiſſimæ Deiparæ Virginis, S. Michaelis Archangeli, S. Joſeph, B. Johannis Epiſcopi noſtri, cæterorumque Sanctorum gloriam, honorem, & laudem Synodum ipſam apertam eſſe, atque inceptam volumus, promulgamus, & decernimus.

Reliqua Decreta, nempe de modo vivendi in Synodo, de Miniſtris Synodalibus, de præjudicio non afferendo, de nõ diſcedendo, de oratione publica, de profeſſione Fidei, & de cæteris hujuſmodi, habentur in actis, quæ in Epiſcopali Cancellaria aſſervantur.

TITULUS PRIMUS.

De Sũma Trinitate, & Fide Catholica.

C A P. I.

Parochi Fidei rudimentis Parvulos, & Adultos imbuant. Methodus pro tali inſtructione ſervanda traditur.

MAximum Parochi onus eſt Animabus ſibi commiſſis lac in potum dare, & aliquibus eſcam, ut poſtulat Chriſtiana pietas, ne alimentis ſpiritualibus, & ſalutaribus priventur. In præſenti propterea Conſtitutione omnibus curam Animarũ gerentibus injũgimus, & præcipimus, ut diebus feſtivis, & Dominicis in eorum Eccleſiis pueros edoceant Doctrinam Chriſtianam,

nam, & ex breviori Cardinalis Bellarmini libello methodũ accipiant, prout in Conc.Provinciali XIV.Cap. V. fuit mandatum. Negligentes ſi comperti fuerint, in pœnas carolenorum quinque pro qualibet vice incurrant, ultra alias noſtro arbitrio reſervatas, ſi nimis oſcitanter agant.

Pro iis verò,qui ætate provecti,precipua Fidei myſteria, ejuſdemque rudimenta prorſus ignorãt,& quod pejus, diſcere erubeſcunt, Parochis, & curam Animarum gerentibus mandamus, ut ſingulis feſtivis diebus poſt Euangelium in Miſſa Parochiali vulgari idiomate, & alta voce, populo reſpondente, recitent omnia, & ſingula contenta in parvulo libello, vulgò nuncupato *la Dottrinella*, & de incapacibus Nos certiores faciant in Sancta Viſitatione.

C A P. II.

Diebus feſtivis Parochi Euangelium Populo explanent.

MEminerint quoq; omnes Parochi præbere eſcam ſuis Populis,explanando Euangelium inter Miſſam omnibus diebus feſtivis, & pro audientium capacitate illud exponere, ſermonemque ad dandam ſcientiam ſalutis plebi ejus nunquam intermittant ſub pœnis ſtatutis.

TIT. II.

De Conſtitutionibus.

CAP. I.

Diœceſanæ Synodi antecedenter celebratæ confirmantur. Conciliorum Provincialium executio præcipitur.

DIœceſanas alias Synodos a Prædeceſſoribus noſtris, quoad omnia, & ſingula decreta ſalubriter editas confirmamus, eiſque perpetuum firmitatis robur adjicimus, & ab omnibus, ad quos ſpectat, inviolabiliter obſervari præcipimus ſub pœnis in illis ſtatutis, & comminatis, iis tamen exceptis, quæ in præſenti Synodo, ob multa, quæ in dies emergunt, animarum ſaluti conſulendo, mutare forſan oportebit.

Ea quoque omnia, quæ tam in primo, quàm in ſecundo Provinciali Concilio Beneventano continentur, perfectæ executioni demandari volumus.

CAP. II.

Præcedentium Synodorum, & hujus Decreta publicata ſingulos afficiant.

OMnia, & quæcunque in Diœceſanis Conſtitutionibus ab Anteceſſoribus noſtris ſtatuta, & a Nobis confirmata, dummodo decretis noſtris non repugnent, & ad Cleri, Populique mores reformandos pertinentia, ab omnibus, ad quos ſpectat, omnino ſer-

ven-

ventur, decernentes, ut publicatis præſentis Synodi exemplaribus,ſingulos arctent, ac ſi ſingulis intimata fuiſſent.

C A P. III.

Exemplum hujus Synodi Eccleſiaſtici penes ſe habeant; ejuſque caput aliquod in unaquaq;Congreg. legatur.

PRæcipimus etiam omnibus Canonicis, Archipresbyteris,Parochis,& Beneficiatis,cæteriſque Clericis, exemplum hujus Synodi penes ſe habere, & in qualibet Caſuum hebdomadali Congregatione unum ſaltèm caput ejuſdem perlegi, ad hoc, ut habentes in manibus legem, faciliùs eam obſervent. Quòd ſi ſecùs fecerint, pœnam ducatorum duorum pro unaquaque vice imponimus.

T I T. III.

De temporibus Ordinationum, & qualitate Ordinandorum.

C A P. I.

Qui prima Tonſura ſunt initiandi.

REgina Saba Salomoni dixit: *Beati ſervi tui, qui ſtant coram te ſemper*. Voluit autem ſignificare, quòd dignitas ſervorum oriatur ex Domini magnitudine, magnificando ſervos Salomonis ex familiaritate, quam cum ipſo habebant. Eccleſiaſtici verò ſunt familiares Dei, & conſtituti in tali dignitate, quòd reſpe-

ſpectu ſæcularium ſunt veluti Margaritę inter lapides, Sol inter planetas, Aurum inter metalla. Quantam igitur diligentiam debent Epiſcopi exercere in eligẽdo Eccleſiaſticos, & miniſtrando Sacramẽtum Ordinis? Nos igitur volentes tanto oneri ſatisfacere, mandamus Parochis, eorum, qui prima Tonſura initiari cupiunt, ut Nos certiores faciant, an ipſi non ſæcularis Judicii fugiendi cauſa, ſed ut Deo fidelem cultum præſtent, hoc vitæ genus eligant, & an ſaltèm Patrimonii medietatem pacificè poſſideant, & authenticis documentis probaverint; nam in ſtatu Clericali perſeverare, & vivere honeſtè non poſsunt, niſi habeant Patrimonium, unde vivere, aut aliquod Beneficium. Volumus etiam, ut ad primam Tonſuram non promoveantur, niſi ad utilitatem Eccleſiarum neceſsarii ſint, & pro ſervitio earundem idonei; ſuperfluus enim numerus inutilis eſt.

CAP. II.

Qui ad Sacros Ordines promovendi.

AD Sacros verò Ordines nõ ſe præſentent, niſi priùs fuerint ſufficienter inſtructi, prout in Concilio Tridentino, & per aliquod tempus permanſerint in aliqua Congregatione a Nobis approbãda, in qua exercitia Ordinandorum fuerint per eos peracta, & atteſtationem Præfecti dictæ Congregationis de fructu exhibuerint.

CAP.

C A P. III.


Interstitia omnino servanda decernitur.

CUm in hac Civitate, & Diœcesi reperiatur inopia instruentium, & Seminarium non adsit, inde sequitur nullas inesse causas Episcopo dispensandi in interstitiis per aliquod tempus. Ideo Ordinandi seipsos præsentare non audeant, nisi completis annis ad Ordines requisitis, ad hoc ut habeant tempus opportunum studendi,& se idoneos Ministros Ecclesiæ reddendi, nisi aliter ob rationabilem causam Nobis consulat Ecclesiæ necessitas.

C A P. IV.

Ad majores Ordines non promoveantur, nisi qui minores exercuerint.

MAndamus pręterea eos nullimodè posse ad alium gradum promoveri, nisi priùs constet de exercitio peracto sui Ordinis toto temporis spatio, quod a Jure est interpositum inter gradus Ordinum; nam hæc est vera dispositio ascendendi ad Sacerdotalem dignitatem.



TIT.

TIT. IV.

De Sacra Unctione.

CAP. I.

Extremæ Unctionis Sacramentum, ejusque effectus exponuntur.

EXtrema Unctio, quæ est consummatio quædã Pœnitentiæ contra reliquias peccatorum, est Sacramentum in Oleo a Christo Domino institutum, & a B. Jacobo Apostolo promulgatum, ad confortandum, & alleviãdum etiam ab infirmitate corporali fideles graviter ægrotantes, prout in Sacro Concilio Tridentino Sess. 14. Cap. 1. Quod Sacramentum, cùm sit quædam immediata præparatio ad introitum gloriæ, nullam habere potest figuram in veteri Lege, quia in illa, pretio nondum soluto, nullus aditus patebat ad gloriam, ut insinuat Divus Thom. 1. 2. quæst. 102. artic. 5. ad 3.

Effectus autem principalis, & primarius hujus Sacramenti est abstergere reliquias peccatorum, tam originalis, quàm actualium, mortalium, & venialium; secundarius verò, & minùs principalis dimittere peccata, si quæ habeat infirmus in Anima, & ignoret: & sanitatem corporis conferre, si Animæ saluti fuerit expediens, ut in Concilio Florentino, & fusè in Tridentino loco supracitato.

CAP.

CAP. II.

Quando ministrandum sit Infirmis hoc Sacramentum.

NOs volentes, ut a Parochis diligenter curetur, non privari Animas hoc auxilio a Christo institu-to, mandamus, administrationem hujus Sacramenti fieri cum observantia Concilii Provincialis Beneventani XIV. Tit. VII. de Sacramento Extremæ Unctionis. Non enim expediens arbitramur, in articulo ultimo vitę Infirmis administrari ob periculum privationis tanti auxilii, sed regulariter quando adest probabile periculum mortis, & Infirmus sensibus, & rationis usu est adhuc præditus, exhibendam volumus sacrosanctam hanc Unctionem.

CAP. III.

Quibus Infirmis sit conferendum.

ADvertant Parochi hoc Sacramentum ministrare eis, qui adultam habent ætatem, vel saltèm talem usum rationis, ut potuerit infans peccare, & possit recipere Sacramentum Pœnitentiæ, ex eo quia malitia suppleat ætatem; nam cùm sit hoc Sacramentum consummatio Pœnitentiæ, qui ob peccatorum, & ætatis defectum non est Pœnitentiæ capax, hujus etiam Sacramenti incapax est.



B TIT.

TIT. V.

De Feriis, & festorum dierum observantia.

CAP. UNICUM.

Edictum contra festorum dierum inobservantiam promulgatur.

SI benignè,& liberaliter totum tempus,scilicet,dies, mẽses, & annos omnipotens Deus pro nobis creavit, & sibi tantùm reservavit dies sacros festivos, prout in præceptis Decalogi, ad hoc ut in iis tempus opportunum esset nobis considerandi beneficia divina, meditationes faciendi, de illis gratias reddendi, & omnia exercitia spiritualia tractandi; quare nos non pudet eosdem dies tanto benefactori tollere,& pro rebus temporalibus applicare? Cùm autem contra hoc divinum præceptum gravissimas invenerimus transgressiones, nostri officii onus duximus, in trasgressores toto conatu irruere per Edictum in Appendice hujus Synodi appositum, quod volumus omnino ab omnibus observari, & a Parochis in qualibet prima mensis Dominica Populo publicari, sub pœna scutorum duorum piis usibus, &c.



TIT. VI.

De fide instrumentorum.

CAP. UNICUM.

Præscribuntur Inventaria, & Plateæ Locorum Piorum.

AD Episcopos pertinet vigilare, ut bona stabilia, & quęcunque ad Ecclesias spectantia conserventur, eaque ab hominum cupiditate defendere, qui aliena usurpando, maximè Ecclesiastica, propria dilatare prætendunt. Nos idcirco pro munere nostri officii præsenti Constitutione sancimns, & mandamus omnibus, qui curam habent Ecclesiarum, Beneficiorum, & Locorum Piorum, ut intra spatium unius anni renovare, & conficere debeant Plateas, & Inventaria, cum plantis bene designatis, sub pœnis arbitrio nostro; nam in Sancta Visitatione res adeò confusas invenimus, ut nullo modo scire potuerimus, quæ, & quanta hujus Civitatis, & Diœcesis Ecclesiæ, & Loca Pia possideant.

TIT. VII.

De vita, & honestate Clericorum.

CAP. I.

Constitutiones Synodales Antecessorum Antistitum innovantur, & novum Edictum promulgatur.

DIvus Paulus secunda ad Corinth. Sacerdotes appellat *Ministros Christi, & dispensatores myste-*

riorum Dei. Divus verò Petrus, *Gentem electam, regale Sacerdotium,&c.* Omnes igitur Ecclesiastici elucere debent in vita,moribus, & operatione,ad hoc ut fideles æstimationem de ipsis habeant,& bene facta imitentur. Ideo Nos pro satisfactione nostri pastoralis officii, quantum possumus,inculcamus,& innovamus quidquid ab Antecessoribus nostris fuit constitutum de vita, & honestate Clericorum in multisConstitutionibus Synodalibus, quas præsenti decreto confirmamus, eisque perpetuum firmitatis robur adjicimus. Ab omnibus etiam observari mandamus,sub pœnis statutis, Edictum a Nobis emanatum, quod ut faciliùs præ manibus omnium habeatur, in calce hujus Synodi apponemus.

C A P. II.

Habitum, & Tonsuram non deferentes,privilegiis Clericalibus privantur.

DEcretis ultimi Concilii Romani inhærendo, declaramus Clericos non incedentes in Habitu,& Tonsura nullo modo gaudere privilegiis Clericalibus; qui si fuerint Beneficiati, ipso facto sint privati, quod maximè in nostra Civitate, & Diœcesi necessarium ducimus, in qua Clerici specialiter sunt ordinati pro servitio Ecclesiæ; quomodo autem inservire possunt Ecclesię, si habitu carent?

CAP.

CAP. III.

Ecclesiæ servitium inculcatur.

CUM omnes Ecclesiastici principaliter promoti sint ad servitium præstandum in divinis, scire debet unusquisque onus suum, & exercitium præstare, imò vacare quotidie in Ecclesia, & sicut Angeli servant ordinem suæ Hierarchiæ, ita Ecclesiastici ad Ecclesiasticam Hierarchiam servandam officia in Ecclesia exercere debent, quæ Ordinibus, quos obtinent, correspondent.

CAP. IV.

Sacerdotum munus explicatur.

PRæterea Sacerdotes ipsi ministrare quotidie debent in Ecclesia, sacrificando, instruendo, docendoque gentes, & Animas fidelium deducendo ad ovile Salvatoris nostri, ut possint retributionem accipere in tempore opportuno, & fructum, lucrumque talenti a Domino sibi consignati in adventu ipsius offerre.

CAP. V.

Congregatio Sacrorum Rituum, & Casuum Conscientiæ ab Ecclesiasticis semel in hebdomada habenda demandatur.

SAcerdotes, ad quos spectat solicitudo defendendi fideles, & in viam salutis dirigendi, si virtute, & do-

doctrina careant, nullo modo possunt custodire, & vigilare contra inimicos. Nos itaque, ad hoc ut Ecclesiastici nostræ jurisdictionis munus suum rite, rectè, & practicè valeant obire, præsenti Constitutione sancimus, ut in qualibet Diœcesis nostræ Vicaria semel in hebdomada Sacrorum Rituum, & Conscientiæ Casuum Congregatio habeatur, prout in Edicto in calce hujus Synodi apposito statuimus, ut perpensis discussionibus dubiorum Moralium, & Rituum exercitationibus efficiantur diligentes, & in eorum officiis versati. Si qui negligentes defecerint, pro qualibet vice pœnam carolenorum quinque incurrant, piis usibus, vel pauperibus dandam.

T I T. VIII.

De Præbendis, Dignitatibus, & Canonicis.

C A P. I.

Institutio Præbendæ Theologalis denuntiatur.

CUM statutum sit in Concilio Tridentino Seff.5. Cap.1. de Reformat.ne cœlestis ille sacrorum librorum thesaurus, quem Spiritus Sanctus summa liberalitate hominibus tradidit, neglectus jaceat, quòd in illis Ecclesiis Cathedralibus, in quibus Præbenda pro Lectoribus Sacræ Scripturæ deputata reperitur, ejusdem expositionem, & interpretationem per supradictos Lectores, aut per substitutos idoneos Episcopus curet omnimodè practicari; cùmque in aliquibus Cathedralibus

libus tantum onus, aut relaxatum ſit, aut nunquam uſitatum, noſter vigilantiſſimus Pater, & Dominus Benedictus PP. XIII. opportunè ſtatuit in Concil. Rom. primam proviſionem Canonicatus, qui fortè vacaverit, aſſignandam eſſe pro Theologalis Lectionis Præbenda; facto jam caſu in noſtra Cathedrali ob tranſitum Antonii Vallini Canonici ad aliam vitam, qui diem ſuum clauſit extremum die 14. menſis currentis, habita licentia Sanctiſſ. Domini Noſtri, concurſum indiximus, & per Examinatores Synodales approbatus, & idoneus æſtimatus fuit Dominus Petrus Paulus Vecchia Sacræ Theologiæ Doctor; propterea Bullas in ejuſdem favorem expediri, & in poſseſſionem prædicti Canonicatus Theologalis eundem immitti juſſimus, juxta normam ſupradicti Concilii Romani, quod pariformiter in futurum ſervandum erit.

C A P. II.

Eccleſiaſtici omnes Scripturæ Sacræ lectioni aſſiſtant.

NE fruſtrà verò tanti theſauri valvæ aperiantur, & ut quivis ad introitum earum promptus reperiatur, pręſenti Decreto mandamus, ut ſinguli Clerici cujuſcunque dignitatis, & gradus exiſtant, non ſolùm Choro intereſſe, ſed lectioni prædictæ pariter aſſiſtere teneantur. Quòd ſi ſecùs fecerint, pro illa die punctentur, ac ſi a divinis Officiis abſentes fuiſſent. Creſcente deinde contumacia, pœna augebitur noſtro arbitrio exigenda.

CAP.

C A P. III.

Canonicorum Origo, Numerus, & Insignia publicantur.

CAnonici, dicti a verbo canendo, vel a Canone, sunt Consiliari Episcopi, & efformant veluti Senatum Ecclesiæ Cathedralis; illi tantùm propterea inter eos cooptandi sunt, qui moribus, scientia, & gravitate cæteros antecellunt. Quonam tempore in Cathedrali nostra fuerint instituti, ignoratur; supra septem verò sæcula fuisse pro certo habemus, nam anno 1076. Sanctus Johannes fuit electus, & consecratus Episcopus hujus Ecclesię; quod indicat, alios Antistites præcessisse, quorum memoria nulla superest.

Duodenarium numerum non excedunt Dignitates, & Canonici, nempe: Archidiaconus, Archipresbyter, Primicerius primus, & secundus, quatuor Diaconi, & quatuor Subdiaconi. Omnes eodem modo sunt insigniti ab antiquo, nempe Rocchetto, & Mozzetta violacea cum Caputio: de communi massa æqualiter participant juxta statuta, & Capitulum efformant more aliarum Cathedralium. Archipresbyter tamen specialiter curam Animarum exercet, & illi addicta sunt emolumenta stolæ; quod ad futuram memoriam notatum voluimus.

C A P. IV.

Canonicorum assistentia Canonico celebranti confirmatur.

USum, & consuetudinem, quam in nostra Cathedrali invenimus, quòd scilicet Canonici quoti-

die,

die, & solemniter in festis assistant Choro, commendamus, sicut pariter quòd Canonico celebranti solemniter Canonicus Diaconus, & Subdiaconus assistat, confirmamus, cùm ex penuria aliorum Sacerdotum aliter fieri non possit.

C A P. V.

Quomodo faciendi sint Actus Capitulares.

NUllo modo presumant Canonici nostræ Cathedralis ullos actus facere de quacunque re Capitulari, nisi de consensu saltèm majoris partis Canonicorum, & dummodo constet de utilitate Capituli; aliter in excommunicationem incurrent. Vota verò per secreta suffragia exquirantur, exclusis iis Canonicis, de quorum interesse agi contigerit.

TIT. IX.

De rebus Ecclesiæ alienandis, vel non.

CAP. UNICUM.

Contractus cujuscunque generis ne fiant ab OEconomis Locorum Piorum, sine Curiæ Episcopalis licentia.

BOna Ecclesiæ, sive utilia sint, sive necessaria, dicuntur Patrimonium Christi, qui Ecclesiæ est Sponsus. Christus autem a suis Ministris statuit pertractari ista bona, non tamen tribuendo eis dominium rectum, & proprium, sed tantùm utile, neque in hac

materia valet ulla excuſatio, aut prætextus, cùm multiplices excommunicationes latæ ſint a Sacris Conciliis, a Conſtitutionibus Summorum Pontificum, & præcipuè a celebri Extravaganti *Ambitioſæ* Pauli II. Quicunque igitur temere, & iniquè ad bona ſupradicta Eccleſiarum manus apponit, in excommunicationem latæ ſententiæ ſe ſciat incurrere, ſi ſine conſenſu Summi Pontificis hoc faciat. Si verò occurrat aliquis alius contractus, puta, locatio ad longum tempus, nec fieri poteſt ſine aſſenſu Ordinarii, qui concedi nequit ab Epiſcopo, niſi prævia diligenti informatione, & probatione de evidenti Eccleſiæ utilitate, & tantùm in caſibus ei permiſſis. Nos propterea præſenti Conſtitutione mandamus, ut nullus Miniſter, ſive Eccleſiaſticus ſit, ſive Laicus, de bonis Eccleſiarum diſponat per longam locationem, conceſſionem, permutationem, alienationem, cenſuationem, inveſtituram, tranſactionem, aut alium actum faciat ſine aſſenſu Curiæ noſtræ Epiſcopalis, ſub pœna excommunicationis latę ſententiæ, ut pariter a noſtris Prædeceſſoribus conſtitutum fuit.

TIT. X.

De Parochiis.

CAP. UNICUM.

In unaquaque Parochia proprius Clericus Parochialis exiſtat.

Decretis Concil. Provincialis Urſini XIV. Tit. XVII. Cap. XIII. inhærentes, volumus, & præcipimus,

pimus, ut quivis Presbyter, qui curæ Animarum est addictus, Clericum habeat talari veste, Superpelliceo instructum, & in sacris ritibus a Nobis approbatum, ut in Sacramentorum ministratione deservire valeat. Qui secùs fecerit, suspensione ab officio punietur. Pro approbatione verò supradictorum Clericorum dies quindecim assignamus post publicationem hujus decreti.

T I T. XI.

De Religiosis domibus, ut Episcopo sint subjectæ.

C A P. I.

Confratrum certus numerus determinatur.

FOrmale Confratriæ non est vexillum cum Cruce processionali, & Cappas cuilibet primo occurrenti pro Processionibus imponere, sed iis tantùm, qui in numero Confratrum sint adscripti. Idcirco omnibus Præfectis Confraternitatum præcipimus, ut certus scriptus numerus Confratrum habeatur in libro designato, iisque tantùm licitum sit Saccis, & Cappis vestiri pro Processionibus, & non aliis, sub pœna excommunicationis, injungentes Vicariis Foraneis, & Parochis, ut super hujus executione decreti diligenter invigilent.

Nemo autem ad administrationem Œconomiæ se intromittat, nisi a Nobis facultatem habuerit, ut a Sacra Congregatione Episcoporum pluries fuit declaratum, præsertim die 11. Augusti, 1617. & in una Cæsenatensi die 28. Maji, 1683.

CAP. II.

Exercitia ſpiritualia ſingulis diebus feſtis habeantur.

PRæcipimus etiam, omnibus diebus feſtivis fieri exercitia ſpiritualia(prout in Regulis in Appendice hujus Synodi appoſitis) ad amuſſim a Præfecto ſpirituali in qualibet Confraternitate a Nobis deſtinato,cui ex reditibus ejuſdem Confraternitatis annuos ducatos ſex aſſignamus,cum onere rationem reddendi de profectu ſpirituali in Sancta Viſitatione.

CAP. III.

Conſtitutionem Clementis VIII. circa Confratres Parochi publicent.

QUoad materiale Confratriæ comprehenduntur omnia bona Locorum Piorum, tam ſi ſint legata, quàm ſi ſint dotes, quæ dicuntur Patrimonia Chriſti, & adminiſtrari a Laicis permittitur ſub titulo Priorum, aut Œconomorum, modò fide digni ſint. Ipſis autem Parochi, & curam gerentes Animarum notum faciant, omnino obſervandam eſſe Conſtitutionem ſanct. mem. Clementis VIII. incipientem: *Quæcunq; a S. Sede Apoſtolica*, editam die 24. Decembris, 1604. in qua cautum eſt, ut inſtitutiones Confraternitatum Laicorum, ſive erectæ, ſive erigendæ, nullius roboris ſint, ſi Ordinariorum decretis, moderationi, & correctioni non ſubjaceant, & quòd eleemoſynæ, & alia oblata

oblata Christianæ pietatis subsidia in reparationem, & ornatum Ecclesiarum, aut alium pium usum, arbitrio Ordinariorum erogentur.

C A P. IV.

Excommunicantur Administratores, si contractus sine Curiæ licentia fecerint, aut reddere rationem noluerint.

HUjusmodi autem Administratores noverint se excommunicationis sententiam Nobis reservatam omnino incursuros, si absq; Curiæ nostræ Episcopalis facultate contractus, census, aut investituras bonorum fecerint; & si requisiti rationem reddere administrationis Nobis recusaverint.

C A P. V.

Bona ne vanos in sumptus impendantur prohibetur.

COmessationes, fragores bellicos, cursus ad bravia, & similia, quæ ob inanem pompam expensis Confraternitatum fieri solent, prohibemus; quippe Patrimonia Christi expendenda sunt ad gloriam, & decorem ejus, & ad pauperum utilitatem. Ministri verò, & Administratores quicunque curent se præstare bonos, & fideles Christi servos, ut possint in Judicio illud audire: *Euge serve bone, & fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, intra in gaudium Domini tui.*

TIT.

TIT. XII.

De Censibus, exactionibus, & procurationibus.

CAP. UNICUM.

Cathedratici exactio præcipitur.

Cathedraticum est honor debitus Cathedræ Pontificali in recognitionem subjectionis, ab aliis vocatum Synodaticum, quia solvitur in Synodo, quod quidem varium est variis in locis. In nostra autem Cathedrali præcipimus exigi, prout de more, a nostro Œconomo jam destinato, nempe:

A Capitulo Cathedralis duc. novem, & carolenos sex.

A Clero Castriveteris ducatos duos.

A Clero Castrifrangorum ducatos duos.

A Clero Vulturariæ ducatos pariter duos.

Insuper ex Beneficiis hujus Civitatis.

A Beneficiato Conceptionis carol. quinque.

A Beneficiato S. Luciæ carol. duos.

A Beneficiato SS. Salvatoris de Judino carol. quinque.

A Beneficiato SS. Salvatoris de Petrellis carol. duos.

A Beneficiato S. Mariæ Montis Carmeli carol. duos.

A Beneficiato S. Michaelis Archangeli carol. duos.

A Beneficiato S. Stephani carol. duos.

A

A Beneficiato S. Antonii carol. duos,
A Beneficiato S. Petri carol. duos.
A Beneficiato S. Mariæ de Corte carol. duos,

Ex Beneficiis Castriveteris.

A Beneficiato S. Laurentii carol. quinque.
A Beneficiato SS. Præsentationis carol. duos.
A Beneficiato S. Antonii carol. duos.
A Beneficiato SS. Trinitatis, & Crucifixi carol. duos.
A Beneficiato Montis Virginis carol. duos.
A Beneficiato S. Donati carol. duos.
A Beneficiato S. Blasii carol. duos.
A Beneficiato SS. Conceptionis carol. duos.
A Beneficiato S. Rochi . . . . .
A Beneficiato S. Petri Apostoli . . . .
A Beneficiato S. Marcelli carol. duos.

Ex Beneficiis Castrifrangorum.

A Rectore S. Mariæ de Succursu carol. quinque.
A Rectore S. Mariæ Gratiarum carol. quinque.
A Beneficiato S. Mariæ de Monte Carmelo carol. quinque,
A Beneficiato S. Antonii Abbatis carol. duos.
A Beneficiato S. Margaritæ carol. duos.
A Beneficiato S. Luciæ carol. duos.
A Beneficiato SS. Conceptionis carol. duos.
A Beneficiato S. Martini carol. duos.
A Beneficiato S. Antonii Patavini carol. duos.
Ab Archipresbytero de Bajano carol. duos.
A Priore Oratorii libram unam ceræ elaboratæ.

Ex Beneficiis Vulturariæ.

A Beneficiato S. Antonii Patavini carol. duos.
A Beneficiato S. Mariæ Gratiarum carol. duos.

A Beneficiato S.Mariæ Pietatis carol. duos.
A Beneficiato SS.Assumptionis carol. duos.

TIT. XIII.

De Consecratione Ecclesiæ, vel Altaris.

CAP. I.

Cathedralis Ecclesiæ consecratio refertur.

Misericordiam Domini nostri Jesu Christi laudamus, & benedicimus, qui per suam piissimam pietatem, & mirabilem providentiam Beatissimo Patri Nostro Benedicto Papæ XIII. inspiravit, ut Ecclesiam hanc nostram Cathedralem, squalidam nimis, & sordidam, prodiga manu reædificaret,& ad statum consecrationis restitueret; quam Nos quidem,auxiliante divina gratia, prima die Januarii hujusmet anni 1727. sacris initiavimus, unà cum Altari majori, prout in Instrumento consecrationis latiùs patet. Eja igitur, dilectissimi, in ea devotas preces pro incolumitate ejusdem Summi Pontificis effundamus quotidie, ne immemores tot beneficiorum videamur, quorum memoria hìc erit in sæcula.



CAP.

C A P. II.

Enumerantur quatuor Altaria in eadem consecrata.

QUatuor quoque Altaria in hac eadem Ecclesia nostra Cathedrali ex integro restituta,& renovata,nempe Sanctissimi Sacramenti die 3.Martii,Sanctissimi Rosarii die quinta ejusdem mensis, S.Joseph die prima Maji, & S. Michaelis Archangeli de Jurepatronatus nostri Capituli die secunda prædicti mensis hoc eodem anno, stato ritu consecravimus. Deum omnipotentem exoremus, ut Altaria hæc a Nobis indignis consecrata, devota fidelium veneratione colantur, & preces in ipsis effundendæ exaudiri mereantur.

T I T. XIV.

De celebratione Missarum,Sacramento Eucharistię, & Divinis Officiis.

S E C T I O I.

Circa celebrationem Missarum.

C A P. I.

Sine præparatione nullus Sacerdos Missam celebret, & quæ præparatio adhibenda.

NE sacrosanctę Missę Sacrificii efficacia ob nostram ignaviam nobis depereat, vobis in memoriam

D revo-

revocamus quæ pro eodem rite perficiendo magis utilia videntur; incredibilis enim animi devotio, & præparatio in Sacerdotibus requiritur pro celebratione Missarum. Nemo igitur ad Altare accedere præsumat, nisi priùs præparationem adhibuerit, & maximè quæ præfixa est ab Ecclesia, incipiendo ab antiphona, *Ne reminiscaris*, cum psalmis, & orationibus, ut habentur in principio Missalis Romani. Quod ut commodiùs efficiatur, habeat unusquisque Sacerdos apud se Libellum nuper impressum, sub pœna suspensionis a celebratione, ad hoc ut possit ex illo quoque gratias reddere post Missam. Curet etiam sæpius suas operationes ante Missam cum Confessario examinare, & priusquam celebret, cum nemine peragat alia negotia, & quantum poterit, studeat orationi vacare.

C A P. II.

Laici pertinentia ad Missæ celebrationem non accommodent, sed ipsi tantùm Ecclesiastici.

NEmo audeat celebrare, nisi priùs propriis manibus composuerit, & adaptaverit pertinentia ad Missæ celebrationem, id Laicis omnino inhibendo, sub pœna suspensionis Nobis reservata; quæ tamen ab alio Sacerdote, seu Clerico accommodari possunt, sicut cautum legitur in Synodo anni 1705. a nostro Prædecessore.

CAP.

C A P. III.

In Missæ Sacrificio vestes laceræ non adhibeantur.

QUoniam verò Sacerdotes nostri temporis in celebrandis divinis mysteriis cum laceris, immundis, & sordidis vestibus se Divinæ Majestati exhibere non erubescunt, quod etiam coram hominibus vitarent, id præsenti decreto prohibemus, sub pœna ducatorum decem, Sacristiæ applicanda, prout a Prædecessore nostro in Synodo anni 1704. statutum fuit.

C A P. IV.

Devotè celebrandum.

PRocurent etiam animo devoto & placido, non præcipitanter verba proferre, & meditari mysteria ejusdem Missæ. Meminerint propterea, quòd Salvator noster, cujus bonus odor sumus, & qui nos lucem mundi vocavit, docet, & jubet, ut luceat lux nostra coram hominibus. Oportet igitur exemplo in Sacrificiis nostris lucere, ut fideles videant bona facta nostra, & devotionem imitantes, glorificent simul Deum, qui est benedictus in sæcula.

C A P. V.

Diæcesani sine Rituum approbatione, & exteri sine nostra licentia non celebrent.

PArochis, curam Animarum gerentibus, & Sacristis omnibus in Domino mandamus, ne ad celebrationem Missarum admittant illos Sacerdotes nostræ Dioecesis, qui Rituum approbatione carent, & exteros, non nisi de nostra licentia; quam petere non præsumant sine literis commendatitiis eorum Ordinariorum, juxta instructionem in Appendice hujus Synodi appositam, sub pœna suspensionis

C A P. VI.

Libri pro Missarum satisfactione adnotanda præscribuntur.

QUoad satisfactionem Missarum pro Animabus Purgatorii, pertinet ad nostrum pastorale officiũ invigilare, ut decreta S.Cõgregationis Concilii sub Alexandro PP. VII. emanata observentur, quòd scilicet in omni Sacristia habeantur duo libri ad formam ligati, & in uno propria manu Sacerdotis celebrantis notentur Missæ planæ legatæ, juxta obligationem, sive sint quotidianæ, sive intermissæ; in alio verò Anniversaria, & Missæ cum cantu, etiam propria manu celebrantis, designando dies, & menses cujusque anni. Decreta igitur prædicta ad amussim observari volumus, sub pœna suspensionis ipso facto, prout etiam decla-

declaratum fuit in Synodali constitutione a nostro Prædecessore anno 1697. durum est quippe Animas in Purgatorio permanentes debitis fraudare suffragiis. Si enim, ut declarat Concilium Vasense relatum a Gratiano Causa 13. quæst. 2. Can. 10. *qui oblationes defunctorum retinent, & Ecclesiis tradere demorantur, ut infideles sunt ab Ecclesia abjiciendi*, quantò magis Sacerdotes, qui eleemosynas retinent sine celebratione Missarum? Hujusmodi iniquitates in Ecclesiis nostræ Civitatis, & Dioecesis non patrari speramus; si quæ verò accidant, sciant patrantes se esse ipso facto suspensos.

Præterea cura sit Sacristani libros Missarum bene clausos conservare, & apud se clavem retinere, sub pœna excommunicationis. Quòd si aliquis Sacerdos præsumat scribere se celebrasse, cùm revera non celebraverit, impediat pro posse; Nosque sub eadem pœna certiores faciat, ut providere possimus.

SECTIO II.

Circa Sacramentum Sacratissimæ Eucharistiæ.

CAP. I.

Sacratissimæ Eucharistiæ excellentia expenditur, & a quo sit ministranda.

MAgnum Sacramentum est Sacratissima Eucharistia ratione excellentiæ, in quo Christus Dominus noster suum proprium Corpus, & Sanguinem tradidit, & quod summè admirabile est, virtute consecra-

tionis

tionis a Sacerdotibus factæ tradit quotidie sub speciebus panis, & vini. Quare Theologi inter cætera beneficia homini collata, hoc recensent potissimum, quod nobis contulit in die Cœnæ. Nec ulla oblatio major hac est, in qua recolitur memoria Passionis Christi, habetur semper medicina parata contra peccata, & Anima recreatur cibo spirituali; quia enim quotidie peccamus, ideo Christus quotidie pro nobis in Ecclesia immolatur. Tantum igitur, ac tam venerandum Sacramentum nemo audeat ministrare, nisi instructione imbutus in sæpe laudato Concilio Romano tradita.

C A P. II.

In Communionibus generalibus piæ meditationes habeantur.

ADvertant Parochi omnes in Communionibus generalibus, quæ in solemnioribus diebus habentur, fideles instruere de Sacramento, quod percipiunt, & præbere meditationes, ut piis excitentur affectus, docentes etiam eos de veritate,& existentia Corporis Christi sub speciebus panis, & vini.

C A P. III.

Parochi, & Concionatores frequentiam hujus Sacramenti Populo insinuent.

IDem Parochi, imò & Concionatores Ss. Eucharistiæ frequentiam pro viribus suadere nitantur fidelibus, & curent, ut, si non frequentiùs, quater saltèm in

in anno sumant, præcipuè in solemnioribus festis, Natalis scilicet Domini, Paschatis, Pentecostes, & B.M. Virginis Assumptionis.

C A P. IV.

Singulis quindenis diebus Clerici Sacra Communione reficiantur.

SÆcularibus verò exemplo sint Ecclesiastici omnes, sive in majoribus, sive in minoribus Ordinibus constituti, quibus mandamus, ut saltèm omnibus quindenis diebus post Sacramētum Pœnitentiæ sacra Communione reficiantur. Cunctis propterea Parochis injungimus, ut pro observatione presentis decreti in peculiari libro transgressores notent, & de eisdem Nos certiores faciant singulis tribus mensibus, præcipuè tempore Ordinationis, sub pœna suspensionis.

C A P. V.

De Luminibus ante Tabernaculum, & in expositione solemni.

QUemadmodum olim ignis in Altari semper ardebat, ita nunc ante Tabernaculum, in quo sanctiss. Eucharistiæ Sacramētum custoditur, continuò lampas collucere debet, subministrantibus oleum Confraternitatibus. Expositio verò solemnis sacratissimæ Hostiæ, quam fieri sine nostra licentia prohibemus, nullatenus habeatur sine saltèm duodecim luminaribus

SE-

SECTIO III.

Circa Divina Officia.

CAP. I.

Sacrorum Rituum ſtudium proponitur.

OMnia, quæ a Miniſtris Eccleſiæ tractanda ſunt, diligenter, & cum præſcriptis Ritibus fieri, & tractari debent. Quæcunque enim in Eccleſiaſticis Officiis, ſive res, ſive ornamenta, divinis plena ſunt ſignis atque myſteriis, & ſingula ſunt cœleſti dulcedine redundantia, ſi tamen diligentem habeant inſpectorem. O quàm bonum eſſet, ſi de ſingulis ad ſacras Cæremonias pertinentibus ſcire unuſquiſque poſſet, quid ſignificent, vel figurent, & apertè, clarèque myſteria dignoſcere, ſicut a majoribus noſtris tradita ſunt! certò enim in illis pertractandis, ac agendis eluceret decor, & devotio ob rationes myſteriorum, & figuratorum repræſentationes. Quia verò, nedum myſteria ex culpabili multorum acedia non inquiruntur, ſed Ritus ipſi negliguntur, noſtri paſtoralis muneris eſt, Miniſtris Eccleſiarum noſtrarum, ne maledictiones illas incurrant, quæ Deut. Cap. 28. leguntur contra eos, qui Cæremonias non cuſtodiunt, diſtrictè mandare, ut ad eas diſcendas, & ſacras actiones rite peragendas ſeriò incumbant, iiſque notum facimus illud Hieremiæ Cap. 48. *Maledictus homo, qui facit opus Dei negligenter.*

CAP.

C A P. II.


Exponitur munus Magistri Cæremoniarum.

IN unaquaque Ecclesia nostræ jurisdictionis, in qua functiones Ecclesiasticæ pertractantur, Magister Cæremoniarum adsit, qui sit bene instructus, & in iis peritus. Sciat verò, quòd Nos, quoscunque defectus, qui fortè evenerint, ipsius negligentiæ tribuemus, & ab ipso pariter pœnam exigemus.

C A P. III.

Parochi non omittant functiones sacras, & paramentis utantur benedictis.

